



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorvm Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. X. Vt quid Domine receßisti longè? &c. Carm. gen. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Gentes exitio: queis alios plagis
 Irretire parabant,
 Hæsere impliciti pedes.
 O miranda Dei iudicis æquitas!
 Fraudis fraude sua prenditur artifex.
 O res pectoris altis
 Condenda in penetralibus.
 Sic est: interitu deuorat impios
 Improuisa dies: immemores Dei
 Gentes mors inopina
 AEternis tenebris premit.
 At confusa Deo nuda modestia
 AEternum Domini non animo excidet,
 Neclæto miserorum
 Spes frustrabitur exitu.
 Rerum surge parens, neu sine ut impotens
 Aduersus tenues crescat homunculus:
 Et iuris preme frænis
 Gentes arbiter impias.
 Circumsiste tuæ mole potentiae,
 Terroremque feris mentibus ingere:
 Agnoscat malè firmam
 Sortem gens hominum suam.

PSAL. X. Ut quid Domine recē̄isti longeſſc. Carm. gen. 3.

Quónam usq; custos gentis humanæ tuos
 In rebus arctis negliges?
 Quónam aberis usque, dum pios tyrannide
 Premit arroganter impius?
 O si scelustum uergat in caput scelus,
 Suis-

Suisque pereant artibus.
Dum mentis explet per nefas libidinem,
Sic gloriatur impius,
Sic gaudet in se sempiternum ceu decus
Rectis pararit artibus.
Nec deest nefandam scurra mentem percitus
Turpis lucri cupidine,
Linguam procacem probra cælo dicere
Qui prosequatur laudibus.
At ille cæca turgidus uesania,
Et in futurum improudus,
Dum machinatur sœua, securus Dei,
Præcogitatum urget nefas.
Seu se tenebris induit nox, seu dies
Lucem refudit auream,
Animum nefandis ille curis carpitur,
Scelusq; comminiscitur.
Nec te futurum cogitat uel iudicem,
Vel perpetrat iuindicem.
Hostes minoris æstimat nihilo suos,
Sic ipse secum computans,
Incommodi expers ad senectam usq; ultimam
Securus æuum transigam.
Non cura lætis ulla fese gaudijs,
Non ægritudo interseret.
Os execranda despuit conuicia,
Spumatq; probris & dolis.
Bonis labores continenter pestilens
Lingua & dolores parturit.
Circa uiarum compita infidias locat,
Vt innocentem clam inuulet.

Inten-

Intentus oculis intuetur acribus
In transeuntes pauperes.
Qualis cruentus subter alta delitet
Spelæa conditus leo:
Sic è latebris corde trepido palpitans,
Infirmioribus imminet:
Et occupatos multimodis nexibus,
Nassæ inuolutos attrahit,
Malisq; subigit: & tenebris occulit
Crudelitatem callidus.
Ah strage quanta transeuntes perculit,
Grassatis istis artibus!
Sic deinde secum colligit malè credulus,
Hæc prorsus ignorat Deus:
Auertit ora rebus humanis sua,
Fandi & nefandi negligens.
Exurge Domine, tolle in altum dexteram,
Librata fige uulnera.
Ope destitutos ne pios silentio
Obliuioso desere.
Téne impiorum peruicax uesania
Sic audeat contemnere?
Secreta secum corde tacito ut murmuraret,
Humana non curat Deus.
Cernis profectò cuncta, cernis: & tuam
Scelestus in manum cadet,
Ut telabores & dolores pauperum
Non præterire intelligat.
Tibi relictus est inops atq; innocens:
Tu tutor orbos protegis.
Tu frange uires impij, uiolentiam

Tu

Tu mentis improbae doma,
 A stirpe cæsa donec impietas simul
 Eliminetur & impius.
 Tum firma Dominus sæculorum in sæcula
 Sceptra obtinebis imperij,
 Gentesque terræ finibus procul tuæ
 Exterminabis impias.
 Hæc uota duris obruti laboribus,
 Has supplices fundunt preces:
 Animosque stimulis incitati talibus,
 Telacrymantes postulant
 Pupillum & inopem ut vindices potentium
 Ab impotenti audacia
 Homo ut feroce spiritus ponat suæ
 Infirmitatis conscius.

PSAL. XI. In Domino confido, &c.

Carm. gen. 6.

QUAM spe salutis non dubia fruar,
 Deoque fidam, uos mihi dicitis:
 Facelle rupes in remotas,
 Anteuolans pauidas uolucres.
 Intendit arcum (en aspicis) impius,
 Nero sagittas admouet, ut petat
 Incogitantes è latebris
 Innocuos, animique rectos.
 At tu potenti Rex bone dextera
 Domas rebelles, & facis irrita
 Decreta uelsani furoris
 Contra humiles male nil merentes.
 Aeterna cæli templa colens Deus,

Et